

PROEMIUM

AD ANIMADVERSIONES IN REGULAS ET USUM CRITICES,

In fronte Editionis Parisiensis ab Autore collocatum.



Iulus hujus Operis , quamlibet simplex , satis planum facit , id me animo intendisse , ut addiscerem potius , quam ut majorem Librorum partem , quibus a pluribus Sæculis locupletata est Respublica Litteraria , in judicium vocarem . Investigatio veritatis , studiis meis unice proposita , me adduxit ; ut nonnullas Animadversiones emitterem in Regulas & usum Critices , cum quod attinet ad Historiam Ecclesiasticam , Opera Patrum , Acta antiquorum Martyrum , & Vitas Sanctorum ; tum quod spectat ad rationem a quodam Scriptore divulgatam , Sacrorum Bibliorum Interpretationi omnibus ad hanc diem editis accuratiōi perficiendā .

Hujusmodi Animadversiones argumento erunt , fatendum omnino esse , quantumvis magnificam , & liberalem temporibus nostris Critices speciem fibi effinxerint homines , egregiæ tamen Artis hujus Magistros , omnium ferme Scriptorum Autores , in quibus scite adeo & commode exhibita esse creditur , de eadem Historia , de eodem Facto , de eodem Opere iudicia penitus discrepantia pronunciassè . Legimus sape numero nonnullos inter vera factum aliquod recensere , quod ceteri ad fabulas amendant . Sunt qui aperto multorum Antiquorum ducti testimonio pro legitimo habent Opus idem , quod ab aliis tamquam suppositum rejicitur . Modo a cuiusdam Scriptoris Ecclesiastici autoritate validissimas confici probationes putant ; modo vero in eandem rem , vel aliam eidem si millimam , nullius momenti est hæc ipsa autoritas . Eadem effata usurpantur , atque eadem ratione accommodantur ad ostendendum , hanc Historiam veram esse , illam autem Apocryphis adnumerandam . Hoc loci ex conjecturæ asseruntur , & ea responsa redduntur , quæ solida & rationi consentanea , alibi vero futile & minime probanda existimantur . Hic alicuius adulterini Libri fidem appellat Criticus ; ut inde certissima iudicio suo colligat argumenta ; ibi autem eundem Librum , utpote falsum , nihil evincere , nullius esse ponderis testatur . Quædam Historia a Scriptore multis , postquam gesta est , sæculis narrata in falsitatis & calumnia suspicione venit ; quædam vero sincera & constans habetur , licet ab Autore nihilo